

est in manu propria habere: quod enim non deest, frustra petitur, Deus autem nec virtualiter est indigens, et in manu sua non habens: imperium autem est ordinatio, et motio efficax, et nullam supponit indigentiam, quia si quid deest imperato, ipso imperio dari potest; nullum etiam inconueniens est quod aliquis moveat seipsum, et ordinet de seipso, semotis imperfectionibus diversitatis, et multiplicationis actuum. Secundo, quia imperium cum sit actio superioris, maxime decet Deum, et licet non exerceatur nisi virtualiter, et secundum connotationem objectorum in ordine ad actus proprios Dei intra se, invenit tamen quomodo exerceatur in ordine ad alios extra se formaliter, et ideo salvatur simpliciter imperium in Deo. At vero oratio non invenitur quomodo salvetur in Deo respectu aliorum extra se formaliter, quia non habet superiorem respectu cuius formaliter exerceatur, et ideo cessat etiam oratio virtualis absolute loquendo.

XL. Ad id quod objicitur contra rationem imperii erga prædestinatos, respondetur quod attinet ad motionem moralem, eam non solum consistere in impositione legis, quæ communis est reprobis, et prædestinatis, sed in ordinatione, et directione ad impletionem legis, ad quam Deus movet prædestinatos etiam excitatione morali, et aliis opportunis auxiliis tum physicis, tum moralibus, quibus non movet reprobos usque ad finem. Et ad hanc impletionem movet Deus per imperium ordinando, et disponendo quod ita fiat ut prædestinatus debito modo excitetur, et moveatur moraliter efficaci executione. Quod vero dicitur de imperio physice, et immutante physice, dicimus quod licet executive pertineat ad potentiam exequentem, directive tamen, et

regulative ad potentiam ordinantem hanc executionem, et hoc fit per imperium.

XLI. Tertio argui potest argumentis probantibus non dari in nobis actum imperii efficacem efficacia participata ex aliquo actu voluntatis præcedente, sed sufficere actum intellectus, qui antecedit electionem cum voluntate postea subsequuta. Sed hæc quia tangunt actum imperii, non prout in Deo, sed prout in nobis, remittimus ad locum ubi hæc difficultas tractanda est sub 1-2, q. xvii. Modo enim id supponitur.

ARTICULUS IV.

Utrum prædestinatio, et providentia Dei sint prædefinitivæ nostrarum actionum?

Etsi plura de hoc puncto supra tractata sint disputatione quinta, agendo de efficacia divinæ voluntatis, quæ non potest esse efficacia antecedens nostras voluntates, et independens a consensu futuro, ut præsupposito, sed solum ut causato, et subsecuto, nisi sit prædefinitiva earum, tamen in præsentia oportet specialiter explicare quomodo ista prædefinitio inveniatur, vel non inveniatur in prædestinatione, et providentia Dei, præsertim erga actus liberos, et contingentes, in quibus major de divina providentia difficultas est.

NOMEN PRÆDEFINITIONIS, ET PUNCTUS DIFFICULTATIS.

I. Solent pro eodem accipi apud patres, et theologos prædestinatio, præordinatio, prædefinitio, loquendo de prædestinatione, non pro sola electorum providentia, et transmissione ad gloriam, sed in lata significatione pro omni eo quod

Deo præordinatur et disponitur ab æterno ut fiat. Qua ratione dixit Christus Dominus, Lucæ xxii: *Filius hominis secundum quod definitum est vadit*; quam utique definitionem incommutabiliter in Deo præcessisse, et sic prædefinitam esse Christi Domini passionem, optime expressit S. Leo papa, serm. vii de passione: « Nec ulla, inquit, poterat ratione turbari, quod ante æterna sæcula, et misericorditer erat dispositum, et incommutabiliter præfinitum. » Et communiter sancti has prædefinitiones in Deo etiam circa bona opera, et actus voluntatis nostræ deducunt ex illo Ephes. *Creati in Christo Jesu in operibus bonis quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus*. Quam præparationem esse Dei prædefinitionem, et ex ipsius dono et beneficio procedere docent patres. Nam auctor commentariorum in epistolas Pauli apud Athanasium (habentur in antiquioribus exemplaribus Athanasii, non in excusis de novo) super hunc ipsum locum: « Hæc, inquit, paravit Deus, quæ differri non poterunt, neque prætermitti quin peragantur tamquam divinitus sint prædefinita quousque sit procedendum, idque per multam erga nos providentiam. » Et S. Prosper in responsione xiv ad capita Gallorum: « Fidei, inquit, et charitatis opera, quæ fuerunt prædestinata, recte prædefinita dicuntur auctoritate Apostoli: *Creati in operibus bonis, quæ præparavit Deus, etc.* » Quod desumpsit ex Augustino lib. de prædestinatione sanctorum, c. x, et ex illis postea S. Fulgentius lib. i ad Monimum, c. xxix, et S. Leo papa in epistola lxxxvi, ad Nicetum: « Omnis, inquit, bonorum operum donatio, divina præparatio est, nec prius quisquam virtute justificatur, quam gratia. »

Luculenter ante omnes hos patres expressit harum prædefinitionum

vim S. Dionysius c. v de divinis nominibus, loquens de divinis exemplaribus seu ideis, quæ non operantur efficaciter, nisi adjuncta voluntate. Dicit « Exemplaria dicimus existentium rationes substantificas, et singularitates præexistentes, quas theologia prædefinitiones vocat, et divinas, et bonas voluntates existentium prædeterminativas, et factivas, secundum quas substantialis essentia omnia prædefinit, et produxit. » Scio aliquos hæc Dionysii verba velle traducere, et ad aliorum versionem appellare, in quibus dicunt non ita haberi ista verba, scilicet in versione Carthusiani, et Ambrosii Florentini. Sed frustra: nam ea verba Dionysii, et prædefinitiones ab ipso positas admittit D. Thomas et S. Joannes Damascenus, nec aliquid minuunt translationes citatæ. D. Thomas lect. iii, super hoc caput v de divinis nominibus, ea verba sic ponit ut relata sunt, et dicit quod: « Hujusmodi rationes Scriptura sancta vocat prædefinitiones seu prædestinationes, Rom. viii: Quos prædestinavit, hos et vocavit. Quæ quidem prædefinitiones, et voluntates sunt distinctivæ entium, et effectivæ ipsorum, etc. » Et Damascenus orat. i de imaginibus: « Has, inquit, imagines, et hæc exempla prædefinitiones appellat sanctus ille Dei munere divinis in rebus considerandis, et explicandis excellentissimus Dionysius. Omnia enim ab illo prædefinita et sine ulla commutatione futura, in ejus consilio erant expressa, etc. » Nec mirum quod ideas, quæ ad intellectum spectant, sic per prædefinitiones explicent hi sancti, quia loquuntur de idea, ut practica et efficaci, quod sine decreto, et voluntate divina stare non potest. Versiones Carthusiani, et Florentini in substantia non discrepant. Nam primus loco prædefinitionum ponit prædesti-

nationes, quas dicit discretivas, et factivas, et quod secundam illas omnia prædestinavit. Secundus dicit esse prædestinationes diffinitrices et effectrices, secundum quas omnia prædestinavit. Idem autem est secundum D. Thomam prædefinitio, et prædestinatio apud Dionysium. Denique, ipse S. Thomas q. III de verit. art. VII, dicit: « Omnes effectus secundos ex Dei prædefinitione provenire. » Prædefinitio ergo juxta sanctorum locutionem in Deo ponenda est.

II. Cum ergo prædefinitio et determinationem definitivam seu discretivam designet, et antecedentiam seu præcedentiam ex parte ipsius definientis, et definitionis, potest hæc præcedentia sumi, vel in ratione durationis, vel in ratione causalitatis respectu rei definitæ et decretatæ, sicut de ipsa prædestinatione dictum est quod significat præcedentiam, et destinationem. Et quidem de præcedentia durationis, difficultas esse non potest, quia constat ab æterno, et ante omnia tempora dispositionem de rebus faciendis fuisse in mente divina. Nam, ut dicit Apostolus ad Ephes. I: *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem*: ad Coloss. I: *Mysterium quod fuit absconditum a sæculis et generationibus*: Proverb. I: *Ab æterno et antiquis ordinata sum*. Unde S. Gregorius XII. moral. cap. II: « Deus cuncta secutura præsciens ante sæcula decrevit qualiter per sæcula disposuit. » De præcedentia autem causalitatis, secundum quam loquimur in præsentia de prædefinitio, apud nos prædefinitio duo importat, unum præsuppositive alterum formaliter; præsuppositive importat voluntatem, seu intentionem finis; formaliter ordinationem seu præceptum de mediis, ut de omni providentia docet S. Thomas hic q. XXII, a. I ad III, et de prædestina-

tione q. XXIII, art. IV et q. VI de verit. art. I, licet p. Suarez infra citandus præsertim lib. II de auxiliis, c. VII prædefinitioem accipiat solum pro decreto efficaci alicujus actus faciendi, antequam prævideatur futurus absolute. Est ergo difficultas tum ex parte intellectus in præsciendo, tum ex parte voluntatis in intendendo. Ex parte quidem intellectus, an præsupponat Deus aliquid ex parte nostræ operationis, et voluntatis præscitum, ut determinet, an vero prius absolute, id est, ante omnem præscientiam mediam vel absolutam de re futura in se discernat, et ex decreto sequatur præscientia determinati illius operis, et consensus futuri. Ex parte vero voluntatis, an Deus absolute, et prius intendat efficaciter aliquid fieri, et postea discernat de mediis quibus fiat, an vero non ita intendat absolute a mediis, sed dependenter ab illis, ita ut prius prævisis, et quasi assecuratis mediis; tunc intendat efficaciter efficacia regulata, et derivata ex mediis; tum ut secure, et sapienter intendat; et sic prius computet sumptus, quam ædificare discernat; tum ut efficaciter dicitur velle ea efficacia, quæ Deo competit, quæ scilicet frustrari nunquam potest: talis enim efficacia debet supponere prævisa, et assecurata omnia media, ex quorum defectu potest frustrari intentum. Unde ante illa non erit omnimoda efficacia: præsertim in his, quæ a nostro pendent arbitrio, cujus determinatio nisi sit præsupposita, efficacia Dei infallibilis stare non poterit, sed manebit dependens a nostra contingentia, aut tenebitur determinare, et cogere voluntatem.

SENTENTIÆ.

Tres sunt sententiæ; duæ extremæ et una media.

III. Prima extrema est, non dari in Deo prædefinitioem hanc, quam explicavimus circa actus liberos, nec dari posse talem absolutam intentionem efficacem salva nostra libertate. Tenent plures auctores ex societate, non omnes. tenent. Vasquez præcipue hac prima parte, disp. LXXXIX, c. X, et disp. XCIX, c. III et III p. disp. XXIII, c. X et XI: Molina I p. q. IV, art. XIII, disp. VIII, memb. III et IV; Lessius de gratia efficaci, c. IV et in peculiari disp. de prædestinatione: Herice I p. disp. VII, cap. V, n. XXVIII, et disp. XXIII, c. IX et disp. XIX, c. II: Alarcon tract. IV, de prædestinatione, disp. I, c. VI et alii plures. Cæterum p. Vasquez non ita absolute rejecit omnem efficacem prædefinitioem, quin admiserit in aliquibus præcedere intentionem efficacem finis, et omnino determinatam priusquam sit voluntas de mediis; sed in hac prima parte, disp. LXXXII, c. V, num. XXIII et XXIV distinxit de effectibus qui pendent a libero, et de effectibus mere naturalibus, qui non dependent. Et de prioribus dixit, quod licet effectus quem Deus vult, debeat esse prius in intentione, et posterius in executione, tamen non debet esse prius in intentione efficaci, et determinata, sed simplici tantum affectu complacentiæ, sicut Deus non discernit prius Petrum consensurum, quam ipsum vocare, alias sine illo discerneret consensum voluntatis. De posterioribus autem effectibus dicit, quod ubi effectus est omnino naturalis, potest prius esse in intentione efficaci, quam in executione per media. Quare simpliciter negat liberam cooperationem seu consensum nostrum prædefiniri a Deo, ita quod prædefinitio sit prior ordine causalitatis ipsa nostra determinatione, et cooperatione, quia infallibilitas, seu necessitas, qua ex tali antecedenti decreto sequitur ef-

fectus, ejus lædit libertatem, quia est necessitas antecedens, ut docet citata disputatione XCIX, c. III. Et ita capite septimo solum admittit prædestinationes concomitantes nostram cooperationem, supponendo illam prævisam per scientiam mediam, solum vero antecedentes prædefinitioes admittit ad illa quæ Deus sine cooperatione nostra facit, primam cogitationem, motum subitum, etc. docet tamen capite octavo. Deum prædefinire nostrum consensum non in se explicite, sed contentum in sua causa, id est, in vocatione congrua quam Deus largitur nobis ante nostram determinationem liberam. Quod etiam docet Arrubal infra citandus, et concomitantes prædefinitioes admittit.

IV. Secunda sententia extrema docet intentionem hanc efficacem, et absolutam, et prædefinitioem omnium effectuum creatorum, et actuum nostrorum omnino ponendam esse in Deo, nec aliter summam ejus providentiam, et universalissimam causalitatem (quæ utique est per intellectum, et voluntatem, et ex præordinatione finis) salvari posse. Ita communiter discipuli D. Thomæ, imo et Scotus, pluresque ejus discipuli in hoc ipsum conveniunt, quorum plures refert Henricus de Villegas controvers. XII, priori disp. c. II, videlicet Lichetum, Mayronem, Bassolis, Rubionem, Castronovum, et alios, et Scotus ipse id tenet in I, dist. XXXIX, q. III, §. Viso, et dist. XLI, quæstione unica, §. Sed contra, et in IV dist. XLIX, q. VI, §. Dico ergo. Possuntque citari omnes quos supra disputatione quinta citavimus pro efficacia divinæ voluntatis antecedente, et præveniente actum, et consensum voluntatis nostræ, nec lædente illius libertatem. Ex Thomistis recentioribus videri possunt commentatores S. Thomæ ad hanc quæstionem XXIII, art. V, ibi Bagnez, Zumel,

Navarrerte, Nazarius, Gonzalez ad quæstionem xxii, disp. lxvi: Alvarez lib. iii de auxiliis, disp. xxii; Ledesma lib. de auxiliis quæstiones unica, art. ix; Ramirez tract. de divinis præmotionibus, fol. lxxxvi; Salmanticenses Carmelitæ tract. iv de voluntate Dei, disp. x, dub. iii; Corneso tomo i in i p. tract. i, in q. xiv, art. xiii, disp. ii, dub. vi et tr. ii in q. xxiii, art. vi et vii, disp. i, dub. ii; Cabrera tomo ii, in iii p. q. xviii, art. iv, disp. ii §. iv et tomo iii, q. lxii, art. i, disp. xix §. iv. Ex antiquis Capreolus in i, dist. xlv, q. i, art. ii et in ii, dist. xxviii, qu. i, art. iii ad xii; Ferrariensis iii cont. gent. c. lxxxix; Cajetanus, Durandus et alii plures citati a Salmanticensibus loco citato.

V. Tertia sententia inter has duas media, tenet prædestinationes istas absolutas, et efficacem intentionem absolutam, etiam circa actus liberos creatos non repugnare, nec ex se destruere libertatem, non tamen esse necessariam ad divinam providentiam, nec Deum, uti semper illa, sed ad aliquos speciales effectus, et peculiare insignioresque actus, qui specialiter a Deo intenti sunt. Ita p. Suarez lib. i de absoluta scientia futurorum contingentium, c. vi, n. vi et lib. ii de auxiliis, c. vii, n. vii, et sequentibus, et lib. iii de auxiliis, c. xvii, num. xviii, et lib. i de prædestinatione, c. viii, num. xviii, et c. xiii, num. ix et prolegomeno primo de gratia, c. v et c. vi. Eumque sequuntur alii recentiores, et p. Ruiz tomo de providentia, disp. ix, sect. ii et seqq. Eandem sententiam sequitur p. Arrubal hic disp. lxvii, c. iv et disp. lxviii, c. i, sed tamen addit, ipsos actus liberos non prædefiniri et præintendi absolute a Deo in se ipsis separatim, sed ut contentos in aliquo medio, seu causa, v. g. invocatione congrua. Quod fecit Arrubal, ne cogereetur ponere duplex decre-

tum circa idem objectum, alterum intentionis, alterum executionis sine duplici connotato diverso. Fundamenta istorum auctorum postea solvendo adducemus.

MENS D. THOMÆ.

VI. Sine ulla difficultate secunda sententia est ipsa S. Thomæ mens, qui perpetuo docet omnia debere prædefiniri, et determinari, seu præordinari a Deo sive sint contingenter, sive necessario, nec præsupponi aliquid ab ejus voluntate, et ordinatione, sed causari. Unde si non præsupponit, sed totum a se descendit, necesse est quod quando primo incipit voluntas ordinare, et velle, quod est intendere rem aliquam efficaciter, incipiat tamquam voluntas absoluta, id est, non prius supponens sumptus, et media, sed causans illa. Unde quando vocamus voluntatem absolutam, et independentem in sui efficacia, et ordinatione, non intelligimus quod sit absoluta ab illis mediis, ut ab effectibus suis: causat enim illa, sed ut a motivis, et prærequisitis antecedenter, ut Deus efficaciter se determinet, et ordinet de re aliqua videns se habere sufficientem apparatus, et media ut illam efficaciter velit.

VII. Sic ergo probatur nostra conclusio, et sententia ex D. Thomæ, nam in primis, q. iii de veritate, art. vii generaliter ad omnes effectus prædefinitionem Dei dari ponit, dum inquit: « Quia nos ponimus Deum immediatam causam uniuscujusque rei secundum quod in omnibus causis secundis operatur, et quod omnes effectus secundi ex ejus prædefinitione proveniant, ideo non solum primorum entium, sed etiam secundorum ideas ponimus. » Ubi pondere universalitatem illius causalis: Quia omnes effectus secundi ex

prædefinitione Dei proveniunt: ergo si omnes, nulli sunt qui non proveniant: ergo nulli præsupponuntur. Et loquitur de prædefinitione efficaci, quia loquitur de illa ex qua proveniunt effectus, et secundum quod Deus operatur in omnibus causis. Optime etiam hanc præordinationem providentiæ divinæ explicat s. doctor iii contra gent. c. xciv, ubi inquit: « In providendo igitur suæ sapientiæ præmeditatione omnia ordinat quantumcumque minima videantur: quæcumque vero rerum aliquid operantur, instrumentaliter agunt ab eo mota, et ei obtemperando ministrant, ad ordinem providentiæ ab æterno, ut ita dicam, excogitatum, explicandum in tempore. Si autem omnia quæ agere possunt, necesse est ut in agendo ei ministrent, impossibile est quod aliquod agens divinæ providentiæ executionem impediatur sibi contrarium agendo; neque etiam possibile est divinam providentiam impediri per defectum alicujus agentis, vel patientis, cum omnis virtus activa, et passiva sit in rebus secundum divinam dispositionem causata. » Ubi s. doctor aperte loquitur de providentia disponente, et præmeditante, et ordinante efficaciter, quia loquitur de providentia habente executionem, non solum per se immediate, sed etiam per causas secundas, et ita efficaciter, quod non est impedibilis. Hanc autem in impedibilem efficaciam, dicit D. Thomas oriri non ex præsuppositione prævisa causarum secundarum operantium, sed ex divina dispositione causata in ipsis, et ex eo quod operantur omnia ut instrumentaliter mota a Deo, et ministrando illi ad explicandum ordinem suæ providentiæ in rebus: igitur ista efficacia divinæ providentiæ, et præordinationis est absoluta, et antecedens, non autem supponens ipsa-

rum causarum secundarum media, et efficaciam, sed eam causans, utpote quasi instrumentaliter eas movens, et ex dispositione in eis causata reddens suam providentiam infallibilem. Eandem consequentiam format D. Thomas agens de providentia divina iii contra gent. c. lxxvi, ubi inquit: « Omnis sapientia, et intellectus a summo Deo in omnibus intellectibus causatur, nec intellectus aliquis potest aliquid intelligere, nisi virtute divina, sicut nec aliquid agens operatur, nisi in quantum agit virtute ipsius: est igitur ipse Deus immediate sua providentia omnia dispensans. » Hæc consequentia S. Thomæ stare non potest, nisi Deus omnia prædefiniat, etiam quæ pertinent ad nostrum liberum arbitrium, quia si ideo Deus dispensat omnia immediate, et per se, quia omnia alia operantur, vel intelligitur virtute sua: ergo ut sit efficax ista dispensatio, et provisio, nihil supponere debet unde sumat efficaciam, sed ex ipso debet primordialiter oriri, etiam in his quæ supponere dicitur. Nam si aliquid prævisum ex parte nostra supponit, vel ex parte mediorum, ut illius visus efficaciter provideat et velit, illud quod supponit non habet vim nisi ex ipsa dispositione, et voluntate divina: ergo prior fuit dispositio divina, quam illorum mediorum vis et efficacia. Tunc ergo cum prior fuit absoluta, et independens prædefinitio seu ordinatio fuit, quia non præsupposuit alias priora media ex quibus haberet efficaciam, sed ipse dedit illis: ergo hæc secundum D. Thomam concedenda est.

Et hoc idem deducitur ex alia doctrina communissime tradita a D. Thomæ qui ex efficacia divinæ voluntatis deducit quod est talis, quod ipsa et præbet substantiam, et modum ipsis effectibus et causis inferioribus, idque in illis præordinat